

Nos Eleonora Magdalena Theresia
 DEI Gratia Romanorum Imperatrix, Hungariae
 Bohemiaeque Regina, Archiducissa Austria, Nata
 Comitissa Palatina ad Rhenum, Ducissa Bavariae,
 Comitissa in Veldenz et Sponheim. Reverendissimo
 in Christo Patri, Domino Laurentio Sani Romae Ecclesiae
 Cardinali Corsini Amico Nostro Charissimo salutem ac
 benevolentiae Nostrae affectum. Reverendissime in Chri-
 sto Pater Amice Charissime. Quod ex jactura communi,
 quam Reverendissima Paternitas Vestra cum univer-
 so orbe, et imprimis Catholico ex obitu Serenissimi olim
 Potentissimi ac Invictissimi Principis ac Domini Josephi
 Romanorum nuper Imperatoris, Filii quondam Nostri per-
 dilectissimi in suis ad Nos datis literis persequitur, tantam
 partem sibi sumere, atque eo ipso immensum Nostrum ex
 tam luctuoso casu conceptum dolorem utcuoque lenire sate-
 gerit, pro suo id in afflictam rem Christianam laudabili ze-
 lo facit, tantamque ejus pietatem pro merito patet estimari.

Nos Divinae voluntati obsequentes, eam, quae vulnus
influxit, manum venerabunda exosculamur, certa non
desuturam Nobis eam providentiam, quam obtemperanti-
bus impertiri Divina misericordia solet. Porro Rev^{mo} Pat^{ri}
Vestrae benevolentiae Nostrae affectum in omne tempus con-
firmamus Datum Vienna. Die 3 Junii 1711.

Eleonora Magdalena Theresia

Joan. Frid. B. à Seiterm.

[Faint, illegible handwritten text]

[Faint, illegible handwritten text]



1711.

Vienna B. Aug.

Imperatrice Leonora
m^{te} Helena Serisa

Respectu condignissimo

Reverendissimo in Christo Patri Domino
Laurentio Sar. & Rom. Ecclesie Cardinali
Germini Amici Vostro Reverentissimo.



148-2396-9